





1. Bock f. Friderici Samuelis / diff. De Notione  
Immensitatis Dei amplificanda Co-  
memplatione magnitudinis Mundii.  
Regionenti 1766, aucto. J. C. Reversi.
2. Bode f. Christophorus Augustus / Protevan-  
geliu[m] Geneser[us] Cap. 181 Vers. XX. Helm-  
stadt 1763.
3. Bochmer f. D. philip Adolph / programma, de  
Christo filio Boninisi, Halle 1765.
4. —— programma, addita est illustratio  
addita est illustratio loci 1 Corinthi 26; vers. 51,  
Halle 1766.
5. —— programma in Commentationem ad  
Illustrationem Actorum Apostolorum, 1766.
6. Büchner f. D. Andreæ Eliæ / programma in  
diem natalem Christi, Halle 1768.
7. Carrack f. Ioh. Tob. / programma paracliti  
Appellatione Spiritui Sancto tributa,  
Halle 1764.

DE OPERIBVS DEI  
IN REGNO NATVRAE  
SIGILLATIM. I.  
**DE CREATIONE**

DISSERTATIO THEOL. DOGM. REVEL.

QVAM  
ADIVVANTE DEO T. O. M.  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
ET NVTRITORE CLEMENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DN. FRIDERICO**  
HASSIAE LANDGRAVIO PRINCIPE HERSFELDIAE  
COMITE CATIMELIBOCI DECIAE ZIEGEN-  
HAINAE NIDDAE SCHAVENBURGI HANOVIAE  
AC RELIQVA

PRAESIDE ET MODERATORE  
**GODOFREDO SCHWARZ**

THEOL. DOCT. ET PROFESSORE PRIMARIO  
CONSISTORII SACRI ASSESSORE ECCLESiarVM HASSO-SCHAVEN-  
BVRGICARVM SVPERINTENDENTE

AD D. APRILIS CIO ID CC LXIII.

H. L. Q. C.

DEFENDET

CHRISTIANVS WILHELMVS SCHROETER  
RINTELIENSIS.

RINTELII TYPIS I. G. ENAX, A. T.

DE DEO OFFERIBVS DHI  
IN BEGONDENIA TAR  
SCHEN VRIJ  
DE CREATIOME  
DN RIBI B I O O  
AK  
EGO DEDICAB WARY  
CHRISTIANVS MELCHIORIS CORFETR

DE OPERIBVS DEI  
IN REGNO NATVRAE  
SECTIO I.  
DE CREATIONE.

§. I.

**O**PERA DEI nobis sunt, quæcumque vi sua deus, a se & essentia sua diversa, ad exsistentiam extulit, in eaque subsistere voluit. Opera hæc dei, sine relatione ad generis humani salutem, per Christum partam, regnum naturæ; relata ad salutem nostram per Christum reparatam, regnum gratiæ, theologis audiunt.

§. 2. In operibus dei, naturæ regnum componentibus, de quibus in præsentia sermo nobis est, primum locum tenet creatio, alterum conservatio s. providentia. Creationem dictis classificis, tanquam in theologia nunc revelata, superstruimus Apoc. 4, II. Hebr. 11, 3. Quod nempe ratio apodictice cognoscit, mundum hunc adspectabilem, cum ipsis rerum elementis, & animabus nostris, non existere vi propria, sed vi entis a se, quod est deus; idem ipsum docet revelatio, libris Scripturæ s. comprehensa. Cum vero unum deum vidimus esse essentia, quoad personas trinum, scriptura hinc creationem omnium rerum ex deo Gen. cap. 1 & 2. Jes. 48, 13. et soli deo Neh. 9, 6. Jes. 40, 26 - 28. ita tribuit, ut communem adserat patri 1 Cor. 8, 6. cum filio Joh. 1, 3. 8. Coloss. 1, 16. Hebr. 1, 2. & spiritu sancto Job. 33, 4. Ps. 33, 6. Gen. 1, 2. Nihili est objectio, quod patri creatio-

Quid opera  
dei?  
eaque  
a) tam in  
regno na-  
tura?  
b) quam in  
regno gra-  
tiae?

Notatis o-  
perib. dei in  
regno natu-  
rae,  
Creationis  
auctor deus  
esse docetur

Isq; trinu-  
nus, pater,  
filius & spi-  
ritus S.

nis opus per particulas  $\alpha\pi\tau\sigma$  &  $\epsilon\kappa$ , filio per particulam  $\delta\alpha$ , adscribant sacræ paginae. Eadem enim & absolute divina de filio opera prædicant Joh. 5, 17-19. & creationem ei signifikatam  $\alpha\mu\epsilon\tau\omega\varsigma$  vindicant Hebr. 1, 10. coll. v. 8: & particula  $\delta\alpha$  causam quoque efficientem notat Apoc. 4, II. si quidem de patris operibus alibi etiam adhibetur 1 Cor. 1, 9. Quoad loca, creationem Spiritui S. adserentia, Spiritus dei, Spiritus oris dei, non potest materiale, vel accidentale, quiddam in deo esse: sed est ipsa ejus essentia. Quare, postquam Spiritum S. verum esse deum probavimus, & distinctam a patre & filio personam, (vid. *Dissertatio nostra De deo unirino* §. 11-13.) merito concludimus, Spiritum S. creationis quoque causam efficientem in iisdem locis significari. Quid, quod adserta una eademque numero essentia patris, filii & spiritus s. non possit non omnibus ex aequo tribui, quidquid in eadem essentia divina rationem suam habet, ut habet creatio.

Quid cre-  
atio?  
Ecce his il-  
lius superior.  
quid 1) to-  
rum hoc u-  
niversum?  
nihilum 2)  
quotu-  
plex? quid  
bujus loci?

§. 3. Est vero CREATIO totius bujus universi ex non-existente ad existentia statum, vi dei trinarius, translatio. Totius I.) bujus universi, quod est series finitorum, coexistentium & succedentium, quoquo modo inter se connexorum. Ex non existente 2.), quod idem est, ac ex nihilo; non quidem contradictionis, id enim neque potentiae omnipotentiaeque divinæ objectum est: neque privationis; si quidem filius non ante patrem: verum ex nihilo negationis, ex eo, inquam, quod a contradictione liberum,

exi-

existentia autem propria destitutum Gen. I, I. & 2, 4. 5. Hebr. II, 3. eque *nihilo in progressu formalis*, quod præexistente quidem materia gaudet, emergere autem ad exsistentiam sine vi divina non potest Gen. I, 21. 27. Ad exsistentiae 3) statum translatio, qua universum hoc a) extra intellectum quoque divinum subsistere coepit, universi b) partes in partes operari, & operationes mutuas recipere potuerunt, singula denique c) universi entia, entia singularia, id est, omnimode determinata, evaserunt. Vi 4) dei, ita, ut intellectus divinus omnia possibilia, tam absolute spectata, quam in omnia possibilia systemata redacta, distinctissime sibi repræsentaverit, voluntas divina sistema ex omnibus perfectissimum elegere, libero decreto suo illud ad statum futuræ exsistentiae, aut si mavis ad futuritionem, præ cæteris mundi systematibus, discreverit, potentia denique exsistentiam eidem tribuerit. Vi 5) dei trinarius: trinarius, idque per asserta (§. 2.), dei trinarius, sine causa instrumentalis & socia, sine præexistente in principio materia, sine legum naturalium ordine; nisi quem creator rebus abs se creatis, pro omniscientia et sapientia summa sua, successive indidit.

n. 2. Conspirat cum his ratio, universum 1) hoc, tam conjunctim, quam per singulas partes, spectatum, ob contingentiam suam, vi tantum Entis a se, vi DEI, ex possibilium abysso ad exsistentiam potuisse emergere, demonstrans; atque hinc, in se & per se consideratum, interne tantum possibile, quod idem est, ac nihilum negativum, fuisse. Conspirat

quid 3) ad  
exsistentiae  
statum  
translatio?

Vis 4) dei  
quomodo  
intelli-  
genda?

Vis 5) dei  
trinarius  
quid in-  
volvat?

Consensus  
rationis  
cum Script.  
sacra scitis  
obseruatus  
ratione 1)  
objecti cre-  
ationis,

ratione 2) spirat ratio in eo quoque 2), creationem privum &  
~~causa effici-~~  
~~entis,~~  
 proprium unius & solius dei esse opus; propterea  
 quod in nullo ente finito, non in torta finitorum  
 serie, aliquid inveniatur, unde intelligi possit, suf-  
 ficere illud vel atomo substantiali e non existente  
 ad statum existentiae evocandæ. Quæcunque enim  
 per vires entium finitorum effici possunt, sunt vel  
 unius status mutationes simplicium, vel sunt solu-  
 tiones, coacervationes & transpositiones partium  
 in compositis. Conspirat in eo denique 3) ratio,  
 cum deus sit ens simplicissimum, immateriale &  
 immutable, non potuisse quidquam per ullam e-  
 emanationem ex deo physicam oriri; sed actu tan-  
 tum cum intellectus repræsentantis, *tum* actu voluntatis  
 eligentis & liberrime decernentis, actu *deni-que* omnipotentiae decretum exsequenter, finita  
 omnia et singula, adeoque totum hoc universum,  
 ad existentiam translata esse.

*Mosaica, de  
creatione  
hujus uni-  
versi, nar-  
ratio abso-  
lutissima,  
five 1) me-  
taphysice  
physiceque  
spectetur,*

§. 4. Pronior quidem est ratio, unam dei  
 omnipotentiam intuens, ad ponendum, coexisten-  
 tium compagem, quanta quanta est, simul et  
 semel a deo creatam esse; sapientiam tamen etiam  
 dei considerans, absonum haudquaquam esse in-  
 telligit, ut universa hæc moles inanimata, cum a-  
 nimalium suorum gregibus, mentiumque in ea  
 quasi familiis, successivi temporis spatio, produ-  
 ceretur absolvereturque. Quod temporis spatium  
 neque extendit, neque restringit, nimis scriptura  
 sacra; sed, admirando omnipotentiae sapientiaeque  
 divinæ temperamento, *sex diebus* totum constitisse,  
 nos

nos docet Gen. I, I-31. Docet, ante alia, gradatim primariarum rerum illarum omnium spectacula & miracula, aetheris, lucis, aëris, aquæ, telluris, tum siderum, vegetabilium, animalium quorumvis mentiumque rationalium; quæ immodice demiratum, mox in crassum errorem præcipitatum, ingenium humanum deos finxit coluitque, non esse nisi dei ter opt. max. opificia. Id si est, tantum abest, ut religioso a nobis cultu affici mereantur, ut potius animos nostros invitari oporteat, acriusque conveniat incendi, ad agnoscendum, amplectendum sincerissimeque amandum et reverendum creatorem ipsum summum; illum omnis hujus copiae, magnitudinis, pulchritudinis & utilitatis, quas ex rebus creatis capere, si volamus, possumus, auctorem primarium & unum. Refulgeant enim in rebus conditis perfectiones divinæ, eademque, plus mintusve, mentes nostras feriant; tamen, ut nemo sanus, pulcherrimam solis imaginem puris in lymphæ speculis intuens, imaginem per se potius, quam solem, cuius imaginem contuetur, suspicit; sic male profecto fanos evadere necesse fuit, quotquot specula tantum perfectionum divinarum, pro ipso deo, colere animum unquam ludibriis suis induxerunt fascinatum.

n. 2. Quod si quis denique meminisse curet, nostri causa scripsisse Mosem, ut in beatitudinis consequendæ via nobis præluceret, non immensum sciendi cupidinem cum voluptate distraheret theo-

sive 2) ad  
religionis  
proiectio-  
nem relata.

*Cur in de-  
scriptione  
Geogoniae  
principue  
occupari*

*Moses vo-  
luit?*

*Hypothesis  
exegetica,  
ad Cosmo-  
gonias ide-  
am adse-  
quendam,  
commenda-  
tur.*

theorematica; non mirabitur, illum in creatione orbiculi nostri terraquei enarranda potissimum occupari. Id scilicet, quod tenues grandia vere molientes, efficere voluit, ut ab illis ipsis rebus, quas præ cæteris cognoscere nobis datum est penitusque perspicere, nos ad cognitionem ipsiusmet creatoris, tanquam per scalam duceret directissimam. Si tamen analogice sumas, effectum esse in singulis corporibus mundi totalibus, quidquid, unoquoque ξανύπου die, in orbe nostro terraquo effectum fuisse tradit Moses, (\*) ideam de creatione hujus universi concipere in animo potueris. Id modo teneas, velim, omnia corpora mundi totalia, quæ vocant, vel *lucida* esse, vel *opaca*, vel *mixta*.. Opaca sunt *planetæ*, primarii juxta ac secundarii: *mixta*, uti quidem persuademus nobis, *cometæ*: lucida vero *sol noster & stellæ fixæ*, totidem istæ soles revera systematum suorum planetario-cometariorum.

*Ξανύπου  
Mosaici  
explanatio.*

§. 5. Age jam, descriptionem creationis *hujus universi Mosaicam*, secundum theoriam Copernicanorum, quantum nostra, ad Mossem intelligendum & adversus objectionum argutias vindicandum, interest, intentius spectemus. Principio creavit deus nō, *substantiam coelorum*, quos manibus quasi circumlati ostendere voluit, *illorum terræ que*

(\*) Qua de re pluribus egimus in dissertatione germanica, relationibus nostris publicis, *Nintelsche Anzeigen* de a. 1763. mense Januario inserta; ad quam lectores nunc nostros remittimus.

que etiam istius Gen. i. i. Verum, ut terra vastitas  
 meraque confusio חַaos, fuit, sic analogice totum  
 reliquum chaos, חַaos, tenebrosum et tanquam fluidum  
 aliquod informe et inconditum, פְּנִים, est  
 concipiendum. Spiritu interim dei commixta  
 sine legibus elementa rerum efficaci sua vi susten-  
 tante, decreto mox divino fiat lux, Et facit est lux,  
 particulæ lucidae stellarum fixarum a particulis opa-  
 cis planetarum, & mixtorum ex utrisque cometa-  
 rum, discretae, in moles, dato impulsu, compactae,  
 debitosque suos in ordines quaqua versum, per im-  
 mensum illud, dispositæ fuerunt. Nata hinc syste-  
 mata mundorum partialia, solium singulorum cum  
 planetarum et cometarum suorum satellitio. Da-  
 tus statim est cuilibet corpori mundi totali, lunis  
 tantum circa planetas primarios exceptis, impulsus  
 circa axem suum proprium sese movendi; quo fa-  
 ciatum, ut terra nostra, motu hoc circa axem suum  
 diurno, confidere juxta solem suum potuerit diem  
 primum. Die secundo atmosphæra, ut in terra nostra,  
 sic in singulis corporibus mundi totalibus, qua ne-  
 que sol noster, nullae hinc stellæ fixæ colliguntur  
 destitutæ, jussa est ex voragine sua prodire, jussus  
 in primis æther corpora mundi totalia ab invicem  
 sejungere, & consecutionem ordinemque illorum  
 condictum, reciprocis viribus actionis et reactionis,  
 sustinere indeclinabilem. Atmosphæris circa sin-  
 gula corpora mundi totalia constitutis, vaporum in  
 iisdem adscensionibus & descensionibus datae sunt  
 leges. Ortum hinc in terra nostra, ceterisque pro-  
 babiliter planetis, discrimen inter aquas super atmo-

B

sphæ-

sphæram יְרֵחַ נָסֶה, quæ sunt nubium nobis impendentium fornices et contignationes variae, & subter atmosphæram, יְרֵחַ נָסֶה, qui tunc confusi adhuc cum particulis aridis vapores fuerunt aquosi. *Die autem tertio* jussi sunt aquosi vapores isti inferiores turmatim confluere, inque marium barathra & fluviorum rivorumque, perennium fontium ex conjunctione sustentandorum, alveos concedere. Solum hinc aridum, montibus, collibus, vallisibus planiciebusque distinctum & divaricatum, mox vegetabilibus etiam omnis generis decentissime amictum, apparere. *Die postea quarto* fidera quaeque, non primum nunc condita, sed tantum ad usum systematum planetario-cometicorum, sunt accommodata adstrictius & amplius, Gen. 1, 14-19. Ergo, purgata in tellure nostra a spissis nubibus & nebulis atmosphæra, nitidiore coma resulfit sol, datus planetis cometisque impulsus movendi se in destinatis orbitis circa soles suos, lunis circa planetas suos primarios; sic, ut planetæ primarii lunas simul suas comites circa solem perpetuas traherent. Prodit inde motus revolutionis planetarum primiorum annuus, cum eoque motus illorum prior diurnus combinatus. Cum ratione insaniunt, qui, verbi gratia, Jovis Saturnique satellites, totidem illorum lunas et corpora in se opaca, telescopiorum beneficio contemplari, stellas luminosas se vidisse profitentur; Mosem tamen non dubitant exagitare, quod lunam nostram luminare magnum, regendis noctis tenebris a deo destinatum, appellat (\*). *Die quinto* animalia

(\*) Meliora vel a poetis, o! philosophi, philosophi, nisi

malia tam natatilia, ingenti in primis numero & va-  
stitate stupenda, in aquis, quam volatilia, mirifica  
coloris varietate et vocis suavitate, in libero aëre,  
amphibia item Thetidi quam Telluri, et contra, ad-  
dictiora, condita sunt. *Dies sextus*, procreatim pri-  
mo animalibus terrestribus, feris & cicuribus, ver-  
mibusque et reptilibus insectisque, maxime vero  
formato, post illa, ad imaginem dei homine, utri-  
usque sexus, nobilitatus est; adeo ut *die septimo* deus  
ab universo opere, quod *מְאֹד בָּשָׂר* *universum optimum*  
scriptor sacer praedicat Gen. I, 31. requieverit, sacro  
esse jusso die hebdomadis *septimo* Gen. 2, 1-3.

§. 6. Considerantibus, sine præjudicata opi-  
nione, perfectiones dei, et absolute ab omni æterni-  
tate summas, & absolute in omnem æternitatem im-  
mutabiles, profecto nullus creationis a deo, sibi omni-  
sufficiente, finis cogitandus nobis relinquitur, qui  
proxime, immediateque et directe ad deum fese re-  
ferret. Non illi, rebus creatis, accedere quidquam  
potuit; cui, si nihil unquam creasset, defuit omnino  
nihil. Quin potius spirituum suorum finitorum  
pater ex creatione effectus, non, absit verbo *βλασφημία*,  
fornicator & adulter *αἰσοπός*, quem tantum ab-  
est ut ulla fœtus sui furtivi cura tangat, ut sèpe et  
iam immisericorditer perimat innocentem; pater

B 2

revera

molestem est, discite:

Non fecis ac, noctis consolatura tenebras,

Invehitur bigis argentea luna superbis.

*Argentea*, id est, splendoris sui lumine argentum expolitum  
imitans: & *bigis superbis*, id est, perquam resplendentibus  
cornibus lunæ, seu crescentis seu decrescentis cet.

De fine crea-  
tionis,  
a) ex parte  
nostræ,

revera etiam omnium amantissimus, salutisque filiorum suorum cupidissimus; nobis est concipiendus, & filiali amore atque obsequio super omnia deve-  
randus. Finis hinc dei, in creandis spiritibus finitis, fuisse colligitur vera & stabilis illorum salus, quam maxime fieri per limites eorum potuit, provehen-  
da. Cum vero salutis istius sine cognitione dei, creatoris & patris sui, perfectionum & operum ejus, voluntatisque ipsius erga se propensissimae & intensissimae perspicientia, participes evadere non pos-  
sent; in praesentissimis divinis mediis, ad obtainendum finem suum absolute & simpliciter requisitis, est re-  
ferenda gloriae sue manifestatio. Id est, veram & sta-  
bilem spirituum finitorum salutem procuraturus, sic deus rerum naturam universam non potuit non condere, ut spiritibus suis finitis, per singulas illius partes eunitibus, cognoscere liceret, quanta sit crea-  
toris, ejusdemque patris sui, intelligentia, sapientia, potentia, amor, bonitas, beneficentia, sanctitas, ju-  
stitia, majestas, reliqua Ps. 19, 1-12. Rom. 1, 19. 20. Colligere hinc porro liceret, nihil tantopere ab ipsis requiri, ut in conjunctione patris illius ter opt. max. vere salvi sint, perpetuoque sibi de vera salute gratu-  
lentur, quam obsequium sanctissimae voluntati ejus ultro libenterque præstandum. De ceteris rebus, in his terris, inanimatis & animantibus brutis, docent sacræ literæ, eas omnes ad usum hominis pro-  
ductas & creatas esse, imperioque et dominio ipsius, expresso dei consulto, subjectas, Gen. 1, 26. inque potestatem iterum iterumque traditas ib. v. 28. 29.  
& cap. 9, 2. 3.

*Pra-*

b) ex parte  
dei.

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DISSERTATIONIS RESPONDENTI

S. D. P.

IO. WILH. HOMEYER, S. TH. ST.

*Q*ui maximam semper animi voluptatem percipio ex ornamentis amicorum meorum, non possum non hanc quoque occasionem libenter arripere ostendendi erga Te animum, letitiae commotionibus plenum. A prima adolescentia nos jam amicitia arctior junxit, recentique cum primis in memoria teneo officia, mibi a Te praestita, cum in celeberrima Musarum sede Halensi annuo versaremur spatio. Ex omnibus actionibus tuis sinceritatem animi tui erga me et fidem illibatam perspexi. Permittas mibi igitur velim, Amicorum optime! cui nunquam aliquid denegandum putasti, ut Tibi, cum eruditionis & diligentiae tuae specimen publice dare constitueris, ex animi congratulari sententia. Exaudiat Deus omnia vota mea pro Te jam facta, pro Te in posterum facienda fideliter. Fortunet omnia tua conamina & labores, quibus strenue vacas, honestissimos. Servet Te quam diutissime salutem & florem. Permitte demique, quam humanissime Te rogem, ut pergas me, si meruero, in addicissimorum Tibi amicorum numero habere. Vale. Scrib. Rintelii d. IX. April. MD CCLXIV.

---

PRAENOBILISSIME DOCTISSIMEQUE RESPONDENS,  
AMICE OPTIME ATQUE PEREXIMIE!

*H*aud sine maxima recordor laetitia, Amice Suavissime, ad nos quoque sententiam, quod primus iungat animos vultus, pertinuisse. Etenim, quum Te primum videndi mibi contigisset copia, nefcio quis animi affectus interior me veluti instimulavit, ut intimorem Tecum amicitiam discuperem inire. Evenit, cuius rei memoriam nulla unquam apud me delebit oblivio, ut per omne illud tempus, quod in hac insumere nobis licuit Musarum fede spectatissima, amicitiae nostrae, sane haud fucatae, vinculum arctius connecteretur. Tot tantaque, quæ semper grato alam animo, candoris Tui in me quoque contulisti signa,

ut,

ut, quum Tua haud vulgaris, uti liquet, eruditio eximium Tibi paraverit brabeum, committere non potuerim, quin lætitiam meam, nisi maximam mihi vim intulisse, verbis declararem. Quare, quæ lœta parat amicitia, ea amice grateque accipias, & me, uti fecisti, amare haud desinas velim. Donet, quod pro certo quoque habeo, summum, cui omnes tuos labores consecrasti, Numen Tibi vires, ad veritates, uti decet, defendendas. Adsit Tibi, ut ejus honorem, quoad humane relictum virtuti pertingere, semper promovere possis pro virili, et susceptra coronet Tua felix eventus. Salus nunquam non constans Tibi arrideat, nunquam non conatibus Tuis annuat Deus propitius. Me vero, si dignus fuerim, amare, ut consuevisti, pergas, oro huma-nissimeque abs Te contendeo.

*TVI studioſſimus atque amicus tenerrimus*

L. C. DANNEMANN

SS. TH. C. ET OPPONENS.

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DISSERTATIONIS RESPONDENTI

S. P. D.

I. D. E. SOSTMANN, ss. TH. CVLT.

**Q**uem bodie percipio voluptatis sensum, cum cathedram Te video  
disputandi ergo ascendere, effundere copula illa suaderet, qua  
juncti tenemur arctissima. Recordatione enim amicitie nostræ in-  
genue nec interruptæ unquam sic fruor, ut me Rintelii, tam scho-  
las salutando, quam acroases academicas frequentando, hoc magis  
læter vixisse, quo Tecum mihi vivere licuit conjunctius. Vivere e-  
nim licuit cum eo, qui, quod ex consuetudine nostra mutua et fre-  
quentioribus sermonibus perspicerim, virtutem ex legibus veri, ve-  
rum ex studio virtutis, Tibi firmiter estimare proposuisti. Quæ  
animi representationes vividissimæ publicam jam affectus in Te mei  
interioris professionem postulant. Specimen eruditioſis & diligentia-

Tuae

Tuæ præclarum, me, quem opponentem in aliis deligisti Tibi, ad  
gratissimum, mihique ante alia longe jucundissimum hortatur officium.  
Patere igitur, Amice Suavissime, ut vere & ex animo Tibi ovans  
acclamem: Gratulor de conatu tuo, omni nostra laude digno, gra-  
tulor de academico studiorum tuorum stadio feliciter emenso. Sum-  
mus rerum arbiter tam hoc fortunet, quam cetera tua conamina,  
& labores omnes, divino latissimoque locupletet successu. Retine,  
Amice Dilectissime, obnixe roganis memoriam, tueare amicitiam  
initam & sancte cultam hactenus, eamque prodeesse mibi, jucundamque  
& delectabilem efficere, ut fecisti, non desinas. De me persuajissi-  
mum Tibi habeas, velim, me consuerudinis nostræ & usus, quaqua  
aqua, quoquo igne, ut ajunt, pluribus locis, fruar, nunquam im-  
memorem futurum, quin potius in Te amando usque ad extremum  
vite diem perfirurum. Vale, Amice, optime vale. Dab. Rintelii  
VIII. Id. Aprilis MD CCLXIV.

## MONSIEUR!

Qu' en Vos études les progrès  
Me charment les voyant de près,  
Mon coeur est le témoin exprès.  
C'est la mineure.  
En ce si bon et si beau tour  
Ne cherchera-t-on pas toujours  
Des traits d'un très sincere amour?  
C'est la majeure.  
Ne puis-je y mettre avec raison  
La plus belle conclusion,  
D'être Votre ami? Tout de bon!  
Je le demeure.

Ce n'est ni la coutume, ni la civilité, c'est la seule  
amitié qui fait parler et Vous feliciter Votre  
tres humble serviteur

J. G. ENGEL, Etudiant en Theol. de la Seigneurie  
de Smalkalde. Oppos.

NOBI-

IN ALTI  
AMANTISSIMO  
RESPONDENTI SVO  
SALVTEM ET FELICITATEM DICIT  
PRAESES.

**S**i tantum beatis patris tui, amici mei, in certis incertisque rebus perspecti, maiibus dandum mihi foret aliquid, commendarem Te, utro lubensque, publice & privatim, pro virili parte mea, SCHRÖTERE amantissime. Cum enim, quoad honestatis, justitiae & aequitatis leges ferunt, amicorum omnia communia, vera amicitia non est, qua in sanguinem etiam utriusque amicorum non transflit; sanguinem liberos ipsorum volo, parentibus praeipue orbatus, uti orbus factus, cum germanis tuis, es, ante diem. Extulimus, post b. patris excessum, viduitatis arumnas, complures annos, questam matrem tuam, anno nupero, anno & mibi, charissimorum capitum duorum, obitu, maxime fatali. Inhorru, justis funebribus matri tua solutis, inhorru collacrumans, cum vos, germanorum populum sine parentibus, memet patrem, recenti vulnera saucium, subiret cogitaret, sine liberis. In tuos usus, Amantissime, confessionem verte ingeniam, quam & de amicitia cum b. patre tuo culta, & de inferiarum offici, quod b. matri tua persolvimus, circumstantia significata, edidi. Confessione utraque non rectius uteris, quam si praestantibus animi donis, quibus ab uno et solo deo exornatus es, nunquam ad ostentationem, sed ad provehendam numinis illius gloriam, fructus fueris; quam si egregio ingenii cultu, quem domi non minus, quam peregre, Tibi comparasti, nunquam pro ultima studiorum tuorum meta. sed pro incitamento longius semper progrediendi, prudens reputaveris; quam si cum rerum scientia virtutem, fide in mundi servatorem innixam, vitaque christiana sanctimoniam comitem semper ducentem, memor aeternorum, copulare perrexeris. Sic votorum meorum me, damnet deus, damnet Te numen propitium honestissimorum votorum tuorum, quam cupio totoque ex animo precor. Scrib. Rintelii d. II. Aprilis c. I. CC LIV.



78 L 1708


ULB Halle  
002 390 507


3



Sb.

Hi. 100.





**DE OPERIBVS DEI  
IN REGNO NATVRAE**  
 SIGILLATIM I.  
**DE CREATIONE**  
 DISSERTATIO THEOL. DOGM. REVEL.  
 QVAM  
 ADVANANTE DEO T. O. M.  
 RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
 ET NVTRITORE CLEMENTISSIMO  
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DN. FRIDERICO**  
 HASSIAE LANDGRAVIO PRINCIPAE HERSFELDIAE  
 COMITE CATIMELIBOCI DECIAE ZIEGEN-  
 HAINAE NIDDAE SCHAVENBURGI HANOVIAE  
 AC RELIQA  
 PRAESIDE ET MODERATORE  
**GODOFREDO SCHWARZ**  
 THEOL. DOCT. ET PROFESSORE PRIMARIO  
 CONSISTORII SACRI ASSESSORE ECCLESIARVM HASSO-SCHAVEN-  
 BVRGICARVM SVPERINTENDENTE  
 AD D. APRILIS CIQ ID CC LXIII.  
 H. L. Q. C.  
 DEFENDET  
**CHRISTIANVS WILHELMVS SCHROETER**  
 RINTELIENSIS.  
 RINTELLI TYPIS I. G. ENAX, A. T.